

inclinatio circa imagines, cum precum emissione. Id quod etiam fieri poterit, si cubiculum oratorio proximum sit, unde audiri Missa possit: sicut enim sic audiens sufficienter satisfacit precepto, si forte illo tenetur, & ita sufficientem modum presentia habet pro Missa auditione: ita & pro visitatione, vt de privilegijs taceam pro infirmis concessis, vt lucrari Indulgentias possint, de quibus Religiosi sua Compendia consulant. In Compendio quidem Societatis. V. *Indulgentia.* §. 2. Sic habetur: *Generaliter quando aliqui necessitate vel infirmitate essent precepti, vel in itinere constituti, ita quod Ecclesie pro consequendis Indulgentijs, vel alijs gratis Societati concessis adire non possint, illas consequantur dicendo dimittas illud, quod in Ecclesia dictum erant. Habetur in Summario Privilegijs S. Insigne, in privilegijs impressis fol. 127. pag. 2. Sic ibi. Quod P. Henriquez Lib. 7. Cap. 19. num. 3. vt generale proponit. Id igitur quod de visitatione dictum est, ad maiorem impediti satisfactionem deferuere potest. Licet dubitari etiam possit, & quidem non immerito, an dictum privilegium locum habeat quando in valetudinario, aut prope illud, extat altare & Oratorium: cum enim ad visitationem modo dicto faciendam impediti non sint, non videntur ab eadem excusari. Illud certum, non esse necessarium ad maiorem certitudinem vnam & aliam diligentiam adhibere, sed visitationem sufficere emissionem precum iniuncta: sic enim eadem fit oratio, quae in Ecclesia deberet fieri, & ita privilegij forma propofita cum visitationis supererogatione seruatur. Quod si visitatio nullius commodi fit, eod quod illa debeat in Ecclesia fieri, iuxta opinionem dictam, preces ad effectum obtentionis sufficienti ratione privilegij, quia *utile per inutile non vitiatur*, vt est iuris notissima regula. Et licet Indulgentia a Paulo V. sublata sint, numero praefato relicto, privilegium tamen dictum Indulgentia non est, sed facultas specialis ad eas, quae obtineri possunt, quaecumque illae sint, ab impeditis comparandas, vt in simili obseruat P. Quintana in *Appendice Tract. 4. Dub. 13. num. 3.**

DIFFICULTAS IV.

Circa Gratias, quid sine Bulla Cruciatâ possint Regulares.

307 Quid Gratia nomine in Bullâ intelligatur, dictum numer. 280. & suspendi omnes à Pontifice concessas durante Bullâ publicatione, ex ipsius suspensionis tenore constat, qui in Bullâ habetur, siue similes siue dissimiles sint, quae in Bulla conceduntur. Neque est profecto facile, quae illae sint, designare, quando quidem & similes & dissimiles suspenduntur. Sed iuxta datam explicationem negotium istud expedientes, constat eas, quae Superioribus Ordinum Mendicantium erga suos Fratres tantum conceduntur, non suspendi, vt ex tenore Bullae perspectu habetur, & ita quidquid in ordine ad absolutiones, dispensationes, votorum commutationes, & similia, Superiores possunt cum Fratribus tantum, suo in robore perleuerat: licet id non fiat semper à Superioribus, sed ab alijs, pro

Peculiaris concessio pro Societate.

Specialis difficultas in enodatione.

Gratiarum amplior explicatio.

ratione sui officij, quia totum id à Superiorum auctoritate descendit. Si autem quidquam sit, quod à Superiore praestari nequeat, quia alicui officio est annexum, vt potestas absoluendi Superiorum ipsum à casibus reseruatis, similiter est de illo sentiendum, quia ad fauorem Religionis pure spectat, quam praecipue Pontifex in exceptione praedicta intendit, nec Superiores debent peioris esse conditionis, quibus in ordine ad Commissionem amplior facultas in iure concessa reperitur, vt constat ex *Cap. finali*, de poenitent. & remiss.

308 Est ergo difficultas circa ea, quae ad saeculares spectare possunt, & quando ad ipsos solum spectant, dictum iam. *num. 291.* quod ad Indulgentias attinet, licet gratia illas concedendi Indulgentia non sit, sed pura gratia. Et talis forte est, quae concessa est Fratribus Praedicatoribus, & Minoribus, & consequenter illis, qui in privilegijs communicant, vt scilicet praedicantes in suis domibus possint 18. annos, & 322. dies Indulgentia concedere: extra suas Ecclesias vero ultra dictos 18. annos, dies tantum 222. Tempore autem Quadragesimae in suis domibus praedicantes Feria 2. 4. & 6. 156. annos & 524. dies. De qua concessione P. Quintana in *Appendice Tract. 4. Dub. 3. num. 8.* censens illam non suspendi, quia communis est Religiosis & saecularibus: cum possint etiam Religiosi esse auditores: quae videtur ratio esse licet eam ipse non adducat. Quod tamen valde dubium est, cum concessio ista ad hoc tendat, vt saeculares ad audiendas praedictorum Patrum conciones alliciantur: neque enim ipsi illi indigent, cum alias habeant copiosissimas. Et quidem Concionatores ipsi illa non fruuntur, vt non sit mirum Religiosos eiusdem Ordinis nihil in eo opere laborantes illam non obtinere. Sed de gratia tali, atque alijs redintegrandae tractatio, an scilicet per Bullae publicationem suspendantur, ad quod difficultas praecipua reuocatur: de gratis enim eodem munibus Religiosis & saecularibus, sicut de Indulgentijs philosophandum. Et non suspendi quoad Religiosos ipsos, ita vt illis uti possint, consequenter asserendum, respectu scilicet aliorum Religiosorum. Quoad saeculares autem grauis difficultas est, vtrum scilicet sine Bullâ eo frui beneficio possint. Quod verò illa necessaria in Religioso non sit, si eam saecularis sumpserit, videtur certum, quia duplex Bulla non est pro unico beneficio necessaria: & cum saecularis ante publicationem Bullae beneficio gratiae Religiosis concessae frui possit, dum Bullam sumit, impedimentum penitus remouetur.

Circa gratias pro saecularibus, ubi de speciali quadam pro Concionatoribus.

Quoad Religiosos non suspendi illas, etiam si communes sunt saecularibus.

An sit sententia Religiosorum Bullam sumere, & non saecularium. Vbi curiose que pars fundamenta proponuntur.

309 Potest autem dubitari, an si Religiosus Bullam sumpserit, id sit satis ad omnem difficultatem in hoc puncto propullandam. Et id quidem ratio nuper adducta videtur persuadere, quia scilicet ad vnum beneficium vna Bulla sufficit. Et praeterea Religiosus non poterat durante Bullae publicatione, uti gratia sibi concessa: ergo sumpta Bulla iam poterit: implicat autem quod absolute possit, & quod saecularis Bulla indigeat: quia concessio aliquo conceditur id, sine quo illud stare nequit. Item, suspensione huius gratiae commodum contributionis intenditur: ergo cum illud habeatur sumpta Bulla, nihil refert quod à Regulari,

Regulari, vel à saeculari sumatur. Videtur sane hoc non improbabile, sed incertum: quia praxis contrarium videtur ostendere, & Bullae ipsius tenor indicare, in qua accipienti conceditur tantum vt absolute possit, commutari eius vota, & reliquis uti gratis, sicut & Indulgentijs: ergo ab eo Bulla sumenda est, & non sufficit à Religioso sumi. Praeterea quod taxa eleemosynae eum respicit, qui beneficio Bullae quoad praedicta est gaturus. Cumque pro saeculari diuersa sit, ac pro Religioso, si eam Religiosus sumeret, multum contributio per Bullae concessionem intenta minueretur, vt est manifestum. Sed quidquid de hoc sit, difficultas praecipua restat, an scilicet saecularis absolute loquendo indigeat Bullâ ad fruendum gratis, quae Religiosis in ordine ad saeculares conceduntur. In quo quidem affirmatiuam sententiam tenent Trullench §. 9. *Dub. 3. num. 8.* & apud eum Nauarrus, Sotus, Acosta, Ludouicus Lopez, Fr. Emmanuel, qui contrarium prius docuerat, sed re melius perpensa retractauit in *Additionibus ad §. 12. Dub. 6. P. Escobar Lib. 1. Examine, 17. cap. 4. v. 1. & alij.*

Qui affirmantem teneant, quoad necessitate in saeculari.

Et quibus probent.

310 Fundamenta sunt. *Primo*, tenor ipse suspensionis iuxta formam Pontificiae concessionis, in quibus solum excipiuntur gratiae concessae Regularibus quoad eorum Fratres tantum: particula enim *Tantum* aliquid debet operari: quod tamen ita non erit, si quoad saeculares etiam exceptae proferantur. *Secundo*, quia si ita non esset, Bulla nullius ferè esset momenti, & intentio Pontificis in ea concedenda frustraretur: aut certe maxima ex parte, quando id, propter quod praecipue sumi posset, sine illa liceret. *Tertio*, quia sic habet praxis: quando enim gratiae aliquae Religiosis concessae publicantur, in ordine ad absolutiones, commutationes, & similia, à Commissario apponi solet debere Bullam Cruciatâ habere eisdem fructuosos. Vnde addit Trullench sententiam oppositam non ausurum se in praxim deducere.

Contraria qui amplectantur.

311 Sed nihilominus illam tenent Ledesma, Joannes de la Cruz, Graffis, P. Henriquez, & P. Thomas Sancius, quos adducit & sequitur Diana *Parte 1. Tractat. 11. Resolut. 100.* addens in praxi hodie ita obseruari. Idem repetit in *Additionibus, Resolut. 23.* vbi adducit Villalobos alios ex Doctoribus Salmanticensibus congerentem. Sed labor ille in P. Henriquez praecessit, qui *Lib. 7. Cap. 28. num. 7. in Glossa, l. 2. complures adducit Cardinalis Lugo Disput. 20. de Poenitentia, num. 146.* apud quem P. Salas in *Expositione Bullae manuscriptae. Leander Tomo 1. de Sacramentis, Tractat. 5. Disput. 12. Quaest. 57. Bassus V. Privilegium 3. num. 5. Vers. Sed peres, P. Mendus Disputat. 29. Cap. 9. & alij, multipliciter arguentes, & nos cum illis addentes aliqua, & aliena aliquoties illustrantes. *Primo*, quia privilegia Religionum pro bono communi concessa, non sunt reputanda vt suspensa, dum de illis expressa mentio non fit: sunt enim ad instar legum, quae in iure communi continentur. *Secundo*, quia fauorabiliter interpretanda. *Tertio*, quia stat cum praedicta exceptione tenor verborum Bullae, scilicet: *quoad eorum Fratres tantum.* Nam facultas absoluendi, commutandi, &c. ad Fratres tantum spectat: neque enim alij praeter ipsos possunt illis uti acti-*

Rationes pro illa.

ue. Et praeterea particula illa potest ad priora verba referri, scilicet *Exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium superioribus*: vt sit sensus tantum excipi illas, quae praefatis conceduntur. *Quarto*, quia si saecularis vt fruatur gratia Religiosis concessa, Bulla indiget: ergo gratia reuolidatur respectu illius quando eam accipit: atqui id stare nequit, quia gratia illa non erat saeculari propria: ergo respectu illius non reuolidatur: neque etiam respectu Religiosi, quia gratia reuolidatur in eo, qui Bullam accipit: atqui Religiosus eam non accipit: ergo neque in eo reuolidatur.

312 Arguitur item *Quinto*, quia nullo ex nominatis à Pontifice talis suspensio continetur, vt patet discurrenti per singula, scilicet Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, loca pia, Vniuersitates, Confraternitates, personas particulares. Vbi enim hic Religiosi Ordines? Si dicas cum Ludouico Lopez nomine Monasteriorum designatos, id minime est consonum: nam ea, quae Religiosis Ordinibus conceduntur, non dicuntur Monasterijs concedi, vt ex Bullis priuilegijs apparet. Monasterijs autem solent aliquae Indulgentiae concedi pro ea visitantibus in Ecclesijs aut Capellis: solent enim Ecclesiae vt distinctae à Monasterijs poni, licet in Monasterijs sint, quia de Ecclesijs non Religiosis accipi solet Ecclesiae nomen, vt patet ex Pontificijs Bullis, in quibus Ecclesiae, quae Regularium non sunt, saeculares vocantur, & ita Monasteriorum Ecclesias, vt contradistinctae proponuntur: & similis loquendi modus ei, quem Cruciatâ completur, habetur in Bullâ Pij Quarti prohibentis pro Iubilaeorum expeditione quidquam dare vel accipere, vt videri potest apud Cherubinum *Tomo 1. Bulla 382.* cuius partem refert P. Quintana in *Appendice, Tractat. 2. Dub. 5.* Pro quibuscumque particularibus personis, seu Ecclesijs, Monasterijs, Confraternitatibus, &c. Vbi nequit dici Iubilaeum Fratribus concedi, cum tantum concedatur eorum Ecclesias visitantibus, licet ipsi etiam lucrari ea possint: sed certe non quatenus Religiosi sunt, sed vt fidelium nomine comprehensi. Quod autem ait Trullench, si Monasteriorum nomine non comprehenduntur, comprehendi nomine particularium personarum, inuerosimile profus est: quia cum concedantur omnibus gratiae istae, & nulli in speciali, nequeunt dici particularibus personis concedi. *Secundo*, quia sic concessit Pius Quintus, aut potius declarauit, vt testatur P. Henriquez *supra.* *Septimo*, quia sic habet praxis, scientibus, & tacentibus Commissarijs, vt ait Cardinalis Lugo. His positis

313 Dico *Primo*. Sententia haec vltima omnino tenenda est, quia validis nititur fundamentis, & est pariter benignior: hic enim quae benignior merito praefenda est, quia fauor iste vilitati coniunctus, dum eo vti secure possumus sine periculo illo, quod in Indulgentijs inueniri, dum fauorabiliores opiniones praeponeunt, diximus *num. 299.* vbi & huius, quam modo rationem tradimus, fundamentum indicauius: absolutio enim & commutatio, aut dispensatio coram Deo valent, vt nequeat defectus potestatis absoluentibus & absolutis, dispensatis & dispensantibus imputari. Cumque circa hoc Commissarij non recla-

Postrema collectio valde vrgens ex tenore suspensionis & alij.

Ecclesia à Monasterijs ut distincta ponantur.

Vltima sententia praefertur.

Illius vtilitas pro praxi.

reclament, neque Pontificem pro declaratione adeant, ex eo videtur reddi manifestum nihil illos in huius sententiae praxi deprehendere, quod contrarium Pontificiae dispositioni sit, nec sperare se posse quidquam, quod amplius urgeat obtinendum: eo quod Pontifices maxime curent, ut privilegia sua, & Religiosis praesertim concessa, quae in commune bonum tendunt, exactissime conferrentur. Pro quo inter alia est Cap. *Quando amplius*, de Privilegiis, ibi: *Mandamus quatenus huiusmodi sententias in fraudem privilegiorum nostrorum de cetero non feratis, quia si super hoc ad Nos clamor denuo ascenderit, non poterimus committentibus oculis pervenire, quia promulgatores talium sententiarum severitate debita castigemus.* Sic ibi: ubi ad Archiepiscopos & Episcopos sermo dirigitur ab Honorio Tertio in fauorem Cluniacensium.

Pontifices sua privilegia conservari desiderant.

Contraria fundamenta asseruntur.

Timor in illius praxi nullus.

Indis Bulla non egere pro gratiis de quibus agitur.

314 Neque obiecta vrgunt. Ad primum enim dicimus de sensu verborum in exceptione constare iuxta datam explicationem. Ad secundum, eo non obstante, Bullam in magna estimatione habendam, cum multa alia, maiori pretio dato, comparanda concedantur. Et praxis ipsa ostendit nihil talem exceptionem ob stare, cum vix sit, qui Bullam non sumat, etiam si alia de Religiosorum privilegiis notitia sub sit; vel certe si non sit, ex ea parte nullum expeditioni Bullae obstaculum adhibetur. Ad tertium negatur praxim generaliter acceptam sic habere, cum de contraria fide faciat Cardinalis Lugo. In Iubilaeis quidem observari id solet, ut sine licentia Commissarii minimè publicentur, quia iudex est talium gratiarum specialiter deputatus: licet Iubilaei Anni Sancti, & similia alia sit ratio. Id autem, de quo agimus, diuersum est, de quo ad eum non spectat iudicari, cum à Pontifice circa illud ligatae manus sint exceptione praefata. Vnde timor Trullenchij deducendi in praxim sententiam nostram, non est cur debeat in aliorum cordibus residere, cum de praxi tali constet, & eam non solus Cardinalis Lugo, sed Diana etiam contestetur.

315 Dico secundò. De Indis loquendo, sine dubio asserendum est eos ad usum gratiarum, de quibus loquimur, Cruciatam non egere. Id constat ex amplissima concessione Pontificum, & praesertim Gregorij XIII. per Bullam authenticam die 1. Ianuarij Ann. 1573. ad instantiam Philippi Secundi immortalis memoriae Regis, qua conceditur ut Indi, sicut & nati ex Indis & Mauris, absolvi possint ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, & etiam ab haeresi, ab Archiepiscopis, & Episcopis Indiarum, non obstante reservatione haeresis per Bullam non concessa. Quae facultate gaudent etiam Religiosi Mendicantes, & alij eorum gaudentes privilegiis, in foro poenitentiae, ut aduertit Alfonso à Veracruee in suo Compendio. V. Episcopos, & Fr. Ioannes Baptista in animaduersionibus pro Confessarijs Indorum, Pag. 443. Vers. Circa hanc, per specialia ad id privilegia generaliter concessa, ut tales Religiosi possint in foro dicto quidquid maioribus Praelatis concessum inuenitur. De quo privilegio, & de aliis pro Indis concessis inferius, Deo dante, Titulo inquam 12. differemus.

DIFFICULTAS V.

De facultatibus non renocatis pro Religiosis, & praesertim de illa quae generaliter conceditur circa electionem Confessarij.

316 Quid facultas sit dictum num. 281. & vix circa illas quidquam occurrit, in quo haerere possimus, supposita doctrina, quam circa Indulgentias & gratias praemissimus: similiter enim ac de gratis philosophandum, quia eadem prorsus fundamenta sunt, si qua occurrant, iuxta datam explicationem. Amplissime enim interpretandae sunt, cum in earum via periculum inualidationis non subit respectu eius circa quod versatur, & possit tali facultate utitur culpabilis imputari. Stante autem licito usu, non obstante Bulla, oriri circa illum aliquam difficultates possunt, sicut circa alia, quae nullum ad Bullam respectum important, neque nostri instituti est omnia huiusmodi persequi, ne molimini nimium operosi negotium sine spe terminandi complectamur. Et talis equidem esse poterat quaestio illa circa usum altaris portatilis, qui privilegio Pij Quarti concessus Canonicis Regularibus S. Saluatoris Lateranensis die 18. Maij Anni 1565. ut quavis infirmitate detenti, quibus ratione illius, aut iudicio Medici, vel Superioris praescripto, & cubiculis suis exire prohibentur, durante tantum infirmitate, Missam in proprio cubiculo super altari portatili, in loco tamen decenti & honesto, per aliquem Sacerdotem, per eos iuxta libitum suum eligendum, celebrare faciant, & in cubiculis iacentis Missam audire, & Eucharistiam sumere possint ordinarium locorum, seu quorumvis aliorum licentia desuper minimè requisita; & ut ipsi, ac Presbyter per eos eligendus Missam huiusmodi respectuè audiendi ac celebrandi, plenam & liberam licentiam & facultatem habeant. Praedictum autem privilegium in usu haberi satis aperte significant qui illius mentionem faciunt, scilicet Pasqualigus *Decisione* 174. & 176. *Lezana* Tomo 3. v. *Altare*, num. 16. P. Quintanad. Tomo 1. *Tractat.* 7. *Singulari* 34. num. 7. P. Pellizarius *Tractat.* 8. *Cap.* 2. num. 96. Diana *Parte* 9. *Tractat.* 1. *Resolut.* 34. P. Dicastillus *Tractat.* 5. *Disput.* 4. num. 104. Thomas Hurtadus *Tractat.* 12. num. 2228. Cardinalis Lugo in *Tractatu* uncula de viua vocis Oraculis circa privilegia Societatis, V. *Missae post* s. 6. & illud Compendio Societatis addendum voluit R. P. Generalis Murius Vitellescus, ut testatur idem Cardinalis.

Circa facultates sicut circa gratias philosophandum.

Privilegium speciale circa usum altaris portatilis in cubiculis Religiosorum.

Rarus usus apud illos.

317 Circa quam concessionem admiratur Diana Pontificum liberalitatem, & modestiam pariter Regularium, qui parè & rarissime illa videntur. Quod quidem & ego sic faciendum monuerim, licet circa privilegij valorem non videatur posse dubitari, cum de illo constet, & post Concilij Tridentini publicationem fuerit, ut benè citatus Cardinalis obseruauit: nam dubitari nequit quin in cubiculis infirmorum multa occurrant indecentiae plenae, quae neque oculis aliorum possunt sine offensione praesentari. Quòd

Quòd si dicas ex eo fieri numquam debere Missam in praedictis cubiculis celebrari, quia numquam licet in loco indecenti id fieri, ut Pontifices praecauter quoties licentiam pro celebratione concedunt, vnde & in Bulla nostra praeter licentiam Commissarij approbatio Ordinarij praescribitur per uitationem, & designationem, iuxta id, quod à Consilio est Tridentino decretum *Sessione* 22. in *Decreto de obseruandis in celebratione* &c. & in privilegio adducto id etiam statuitur, ut ex eius tenore constat. Ad id dico, etiam si ordinariè in praedictis cubiculis illa, quae dicuntur, occurrant, & propterea non debeat Missa in illis frequenter celebrari; pro rariore celebratione aliam esse rationem: tum quia pro illa possunt decenter ornari & mundari cubicula, quod pro frequenti non potest moraliter ita praestari: tum quia licet minùs aliquid decens adit, status Religiosus, & locus sacer, quicumque ille sit, cum in illo immunitas Ecclesiastica vigeat, & pars sit Religiosae habitacionis, quae sanctitatem quandam continet, vnde & Religiosae domus sanctae & sacrae compellantur: & praeterea Religiosae professionis meritum, suo iure postulant, ut eo, quod minus apparet decens, non obstante, dispensatio aliqua circa celebrationem praebatur. Sic enim pro celebratione in domibus saecularium privilegium in Bulla conceditur; cum tamen certum sit multa, quae indecentia sunt, in eisdem reperiri: propter conuenientiam enim aliquam in eo potest dispensari, attendit bonitate Christi immensa, quae in hoc Sacramento elucet, vnde horrori non est ipsi cubicula immundissima ingredi, cum pro Viatico deferuntur; & in stomachos fetidissimos penetrare.

Cur non frequenter licent, cum frequens non ita.

Cum subordinatione ad Praelatos situr.

Quam Pontifices maxime enstodiam curant.

Cap. Pastoralis, de Privilegijs.

318 Licet autem facultas infirmo tribuatur, ut possit celebrantem pro suo libitu eligere, & sic electum facere ut celebret, nullius ad hoc licentia requisita, cum illis plena & libera ad hoc licentia & facultas praebatur: non est tamen propterea Religiosa subordinatione submouenda, quia id minimè verosimile est in Religionibus, vbi illa exactè custoditur. Vnde P. Quintanad. addit tunc Superiorem localem altare approbaturum, siue ex propria auctoritate, siue ex ratione aut commissione praesumpta Prouincialis. Quod videtur etiam probare Diana verbis citati Auctoris adductis. Verum quod illi dicunt, non videtur pro debita subordinatione sufficere, quia tantum in altaris approbatione constituitur; cum tamen etiam locus considerari debeat & tempus & persona, & in electione celebraturi obseruanda etiam est: cum non deceat Superiorem ita ligatum privilegio euadere, ut non possit negare quod infirmus petit, & minimè occupare electum in re alia, ut tunc forsitan oportebit. Existimo ergo subordinationem erga omnia praedicta minimè tolli; quia id nequit de Pontificia prouidentia circa Regularem obseruantiam praesumi. Et quemadmodum privilegia concessa Religiosis, sine praedictio iurium Episcopopalium debent intelligi prodiisse, vbi aliud eorum tenore manifeste non constat; ut habetur in Cap. *Pastoralis*, de Privilegijs, vbi sic dicitur: *Ad quod respondemus, quod nisi in Indulgentia Summi Pontificis id continetur expressum, suo Episcopo inconsulto in*

possessionem ipsarum eis non est licitum introire: quia per indulgentiam huiusmodi Episcopali iuri non creditur derogari. Haec Innocentius Tertius. Pariter ergo iuri Praelatorum Regularium non est credendum derogari à Pontifice, ut ijs inconsultis possit subditus in re momenti tanti independentiam omnimodam usurpare. Et quidem si illa esset talis, non posset in usu dicti privilegij ea moderatio seruari, quia vnusquisque pro suo libitu posset celebrationem Missae disponere, & quod ab alio videret fieri, etiam & ipse facere vellet, deuotionis titulo ad auctoritatem traducto, cum dispensio Religionis.

319 Possunt ergo Praelati ipsi id circa se infirmos praestare, cum ita maior eorum dignitas videatur postulare. Possunt & alij, quibus suo arbitrio agere permittitur, viri graues in Religionibus, in quibus non solet subordinatio exactè seruari: sic enim illa non laeditur, cum certum sit Praelatos id non aegre ferre, aut fore laturus: Et tales profecto videntur illi, quibus praedictum est privilegium attributum: erant Canonici Regulares, quibus constat laxiorem esse agendi rationem, vnde plus illis indultum, quam aliis expedire possit quoad facultatis huius modum in sui exercitio; licet quoad substantiam nihil detrahatur. In alijs ergo Religionibus, in quibus omnia iuxta obedientiae praescriptum transiguntur, cuncta ad exercitium tale spectantia cum subordinatione omnimoda disponenda sunt, ut scilicet licentia ad usum petatur, & iuxta illam cetera disponantur. Quod in Societate nostra sic agitur, quando rarissime privilegium istud in usum venit: & aliter rem tractari, singulare esset in subordinatione, quam in omnibus solet seruari, portentum: & hoc modo usus privilegij dicti à R. P. Generali permittitur. Ex toto autem Privilegij tenore constat non posse eum, cui conceditur, Missam dicere, quod adnotasse oportuit; non enim defuerunt, qui extensionem circa hoc non sunt veriti praestari. Sed remota illa Doctorum prouidentia Praelatorum. Ratio autem limitationis est obuia.

Praelati circa se possunt quod circa alios in usu dicto.

Qualis in Societate vsus.

320 An autem liceat usus talis quando Religiosi extra claustrum agrotant, & in domibus saecularium degunt, potest vterius inquiri. Et affirmat Pasqualigus, quem refert, nec improbat P. Quintanad. Sed non videntur audiendi, ut ex tenore verborum privilegij ipsius apparet, cum in eo dicitur: *In cubiculis suis*: quod certe ad saecularium domos nequit aptari & multo minus id quod additur; *In proprio cubiculo.* Vnde id negant Diana *supra*, Hieronymus Garcia *Tract.* 3. *Difficult.* 8. *Dub.* 2. *Puncto* 3. num. 33. & alij, qui dicunt nullum privilegium circa hoc esse in usu. Et quidem vbi Cruciatam publicatur, non modicam sic celebrare faciens, & celebrans ipse litis occasionem excitabunt. Praestat ergo ab huiusmodi extraordinarijs ausibus abstinere. Quod & pariter dicendum de privilegio alio Alexandri Sexti concessio Minoribus, cuius mentio extat in eorum Compendio V. *Missae*, 1. s. 7. & apud Emmanuelem Rodericum Tomo 1. *qq. regul.* q. 43. *artic.* 4. habereque etiam locum post Tridentinum, si Episcopi non obstant, affirmat Thomas Hurtadus *Tract.* 12. num. 2225. de quo & agit Fr. Ioannes Baptista in *Animaduersionibus*

An liceat egrotantibus extra claustra. Vbi contra nonnullos pars negatiua statuitur.

Quam Pontifices maxime enstodiam curant.

X citatis